



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Elogia Patriarcharum, Et Christi Jesu Dei Hominis.
Emanuelis Thesavri Patritii Taurinens. Et Aloysii Jvglaris è
Societate Jesu**

Giuglaris, Luigi

Francofvrti, 1684

Apparet Piscantibus. 91

urn:nbn:de:hbz:466:1-38349

ELOGIUM XCI.
APPARET PISCANTIBUS;

Ioan. 21.

Intentis muneri suo,
Vel non spectatus Christus assistit.
Theatrum illi jucundissimum, Societas operosa,
Ad cujus delicias vel à summo mane festinat.
Arti suæ, quam tam male Aulicismo mutaverat,
Redditus Petrus
Exempli sui violentia socios trahit.
Alumnos lucis nox inimica ludificat;
Illis nec ad quietem utilis, nec ad laborem.
Captant Paupertati subsidia,
Non illecebras voluptati.
Et adhuc retibus suis sola tædia colligunt.
Fugant prædam, qui fugerant præceptorem;
Inveniunt in Piscibus metus suos;
Metiuntur Christi præsentia commoda
De damnis absentia;
Parcunt tamen querelis, votis contenti,
Et patientia lucro refarciunt.
Temporis, somnique jacturam,
Provocat Dei liberalitatem avaritia maris;
Honesti olim comes laboris, nunc merces est;
Quia nullos traxere pisces
Novum attrahunt Piscatorem
Stat Jesus jam extra procellæ ditionem in litore;
Pulmentum exigit, dare paratus;
Interrogat ut homo, mox operaturus ut Deus,
Invitat ad mensam, quos nondum idoneos
Invenit ad pugnam,
Vocat Pueros, qui & se matre adhuc egerent,
Et se viros diffiterentur
Territi larvis malorum.
Tanquam cum pueris ludit Providentiæ suæ
ludos.
Revocat ad dexteram
Quos præteritus turbo ad sinistram abjecerat;
Creat iis novam de utili labore lætitiã:

L 4

Supplet

Post resurrectionem, adhuc piscatoriã exercuerunt Christi Discipuli, Manifesto stetit Iesus in litore.

Dixit Petrus, vade piscari, & responderunt venimus & nos.

Per totam noctem laborantes nihil ceperant.

Omnes enim eo relicto fugerunt in horto.

Nullam Apostolorum querelam in illo infortunio legitimus.

Iussit illos mittere rete in dextram Navigii.

Pueri nunquid habetis pulmentum. Chrysol. serm. de Cæco.

Idem serm. 78.

Quare Christus pueros vocavit Apostolos.

Ludit enim Dei providentiã in orbe terrarum.

Chrysol. ubi supra.

*Impletum Rete
magnis piscibus.*

*Prius Ioannes dixit,
Dominus est.*

*Chrysol. serm. 78.
Innocentia nun-
quam nuda est,
reatus semper re-
fugit ad velamen.*

*Idem ibidem.
Ceteri autem navi-
gio venerunt ad lit-
tus.*

*Abudis ad interro-
gationem P. tri,
Domine hic autem
quid?*

*Recumbentibus
undecim apparuit
Iesus, & exprobra-
vit incredulitatem
eorum.*

*Obsequium Ami-
cos, veritas odium
parit.*

*Apostoli laurenti
in Academia Chri-
sti.*

Supplet de largitate sua,
Quod defuerat illorum fortunæ,
Implet ipse retia magnis piscibus,
Quos illi trahendo faciant suos.
Deteguntur Dilecto piæ amantis infidiæ;
Agnoscitur ex beneficio,
Qui non innotescebat ex vultu;
Victus Petrus videndi acie,
Primas sibi vendicat in Amoris ardore.
Non excussit illi reverentiam desiderium præce-
ptoris;
Deo horret nudum se sistere jam non innocens,
Alter post lapsum Adam ad velamen festinat,
Nec interim ineptiam reputat,
Quod qui nudus in navi fuerat,
In Mare se demergat indutus,
Festinant ceteri impari cursu, quia nec pari fide,
Agunt iterum Dei Commensales tripudia;
Stupent in uno ferculo plura Miracula;
Attendunt comedenrem, obliti quid comedant,
Expiscari Dei curant arcana saturi piscibus;
Adco hominibus unum dedisse beneficium,
Est alterius desiderium injecisse.

ELOGIUM XCII.

ASCENSURUS SUIS VALEDICIT,

Marc. ultimo. Luc. 24. Act. Apost.

Collige, mi bone hospes, sarcinulas;
Gratus accidere Mundo non potes,
Qui vitia palpare non nosti,
Rarus in terris

Qui beneficia utilitate metiatur,

Vulgus id unum credit prodesse, quod placet
Ægrorum plenisque

Sola linimenta remedia sunt,

Ubi ferrum, aut ignem ulcus exquiras,

Tolerabilior habetur Ægrotudo, quam Medicus,
Gymnasiarcha severus

Ne Rude quidem donandis

Incogitantiam disciplinæ condonat,

Im-